

lentium: ut erat Susannae, quae plus egit tacendo, quam si esset locuta. Tacendo enim apud homines, locuta est Deo: nec ullum majus indicium suae castitatis invenit, quam silentium. Conscientia loquebatur, ubi vox non audiebatur: nec quaerebat pro se hominum iudicium, quae habebat Domini testimonium. Ab illo igitur volebat absolvi, quem sciebat nullo modo posse falli. Ipse Dominus in evangelio tacens operabatur salutem hominum. Recte ergo David non silentium sibi indixit perpetuum, sed custodiam. Custodiamus ergo cor nostrum, custodiamus os nostrum. Utrumque enim scriptum est: hic, ut os custodiamus, alibi, tibi dicitur: Omni custodia serva cor tuum<sup>1)</sup>. Si custodiebat David, tu non custodies? Si immunda labia habebat Esaias, qui dixit: O miser ego, quoniam compunctus sum, quia cum sim homo, et immunda labia habeam<sup>2)</sup>: si, inquam, Propheta Domini immunda habebat labia, quomodo nos munda habemus? Et cui, nisi unicuique nostrum scriptum est: Sepi possessionem tuam spinis, et aurum et argentum tuum alliga, et ori tuo fac ostium et vectem, et verbis tuis jugum et stateram<sup>3)</sup>? possessio tua mens tua est: aurum tuum cor tuum est: argentum tuum eloquium tuum est. Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum<sup>4)</sup>. Bona etiam possessio, mens bona. Denique possessio pretiosa homo mundus. Sepi ergo hanc possessionem, et circumvallato cogitationibus, munito spinis, solitudinibus, ne in eam irruant et captivam ducant irrationabiles corporis passiones, ne incurserint motus graves, ne deripiant vindemiam ejus transeuntes viam. Custodi interiorem hominem tuum. Noli eum quasi vilem negligere ac fastidire, quia pretiosa possessio est. Et merito pretiosa, cujus fructus non caducus et temporalis, sed stabilis atque aeternae salutis est. Cole ergo possessionem tuam, ut sint tibi agri. Alliga sermonem tuum, ne luxuriet, ne la-

1) Prov. 4, 2) Isa. 6, 3) Eccl. 28, 4) Ps. 11.